

DE AMICITIA
LIBRI DUO
CARMINE DIDACTICO

Collegij EXPOSITI,
S. j. HONORIBUS *Lobae.*
1747.
Illustrissimorum, Perillustrium,
Prænobilium, Nobilium, ac Eruditorum

DOMINORUM, DOMINORUM
NEO-BACCALAUREORUM,

Dum in Antiquissima, ac Celeberrima
UNIVERSITATE VIENNENSI,

PROMOTORE
R. PATRE ANTONIO
WEILHAMER,

E Soc. JESU, AA. LL. & Phil. Doctore,
Ejusdemque Professore ordinario,
Prima AA. LL. & Philosophiæ Laurea
ornarentur,


Ab Illustrissima Poësi Viennensi,
D. D. D.

Anno M. DCC. XXXVIII. Mense Aprili.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis, Leopoldi Joannis Kaliwoda, Celeberrimæ,
ac Antiquissimæ Universitatis Viennensis Typographi.





ILLUSTRISSIMI,
PERILLUSTRES, PRÆNOBILES,
NOBILES, AC ERUDITI

DOMINI, DOMINI
NEO-BACCALAUREI.



*Uodnam potissimum
Honoribus Vestris
Argumentum in-
scriberemus, anceps nos diu deli-
beratio tenuit : quod videretur
sane arduum, eadem omnino opera*

*& Dignitati Vestræ , nostræque
imbecillitati consulere ; nec præ-
cipitare in alterum , dum proxi-
mum nobis scopulum evitaremus.*

*Medium itaque , quoad lice-
ret , tenere placuit : atque eam
scriptioni materiam deligere , quæ
quidem ab ipso Philosophiæ Prin-
cipe pertractata , Vobis de Phi-
losophia omni adeo promeritis
congrueret quam proxime ; ne-
que nobis peregrina penitus , aut
aliena accideret : quod, e tot aliis*

Roma-

*Romani Philosophi Opusculis ,
unum illud præ cæteris de Ami-
citiæ præscriptum sit , in Huma-
nitatis Classe , publica quot an-
nis prælectione , explanandum.*

*His proin qua sanioris Phi-
losophiæ , qua mansuetiorum Mu-
sarum præcipuis facile ducibus , non
tentatum hætenus , neque tritum
Vatibus tramitem ingressi , quan-
tum trimestri spatio promovere
itineris liceret tyronibus , tenta-
re cœpimus : præeunte equidem ,*

ac complanante semitam, quantum per labores scholasticos vacabat, opellæ hujusce Authore; sed & nobis, pro tenuitate nostra, cæpto in curriculo qua privatim, qua publice decurrentibus. Merebitur hæc ipsa nobis, uti speramus, audacia veniam; ubi aut a proposito nobis scopo defletere, aut inconcinnitate styli, argumenti dignitatem non pro merito æquare contigerit.

Quodsi

*Quodsi tamen non improbari
penitus consilium hoc nostrum in-
tellexerimus : adjicietis animos,
ut non absimile huic vœstigal an-
no abhinc proximo tanto persol-
vamus alacrius ; nec jam prima
duntaxat , nascentis veluti Ami-
citiae incunabula , sed & adul-
tioris incrementa , mutua scili-
cet Amicorum officia , leges , ac
jura , eodem hoc , quantumvis
rudi , attamen plano , ac succin-
cto scribendi genere prosequamur.*

Fave-


*Favete igitur, uti sapientiæ, ita
& melioris, veraque Amicitiae
æstimatores æquissimi; nec asper-
namini conatus hos tenues: quod
& propensissima in Vos volunta-
te cœpti sint; nec minori a no-
bis, quantum quidem per occu-
pationum aliarum vices licuerit,
omnium Vestrum deinceps studio
continuandi.*

Ita precantur.

HONORIS VESTRI

Studiofissimi

POETÆ VIENNENSES.



DE AMICITIA LIBRI DUO.

PROEMIUM.

Hinc procul ille, Paphum qui spirat, inertia mulcens
Pectora, nec nostro carmine dignus amor.

Quem canimus, sacer est : qui foedera jungit honesti
Legibus, & vetitæ qui nihil artis habet.

Magnum equidem, nec quod nostris superabile metris
Sit pondus ; supera ni relevemur ope.

Ergo ades innocui, castique magister amoris :
Quæ servanda velis ; quæque cavenda, doce.

Tu merito, tu purus amor, tu diceris author,
Tu bene fundatæ cultor Amicitiae.

Ergo ades, atque tuo languentem Numine musam
Provehe ; nec coeptum desere vatis opus.

Fallor ! an arcanum pulsat præcordia Numen,
Et novus æthereis sedibus ardor adest.

Ut feret ardor , agar : non trito calle viator
Ignotas quamvis cogor inire vias ,

Difficilem quamvis jubeor decurrere metam :
Sat mihi , pars curæ fim modo parva tuæ.


Te duce , quæ firmo jungantur fœdera nexu :
Te duce , quæ fragili compede vincta , canam.

Quem tibi præ reliquis optes bene cautus Achatem,
Quaque datam possis arte probare fidem.

Propitiis quodsi Superis urgere laborem
Fas sit ; & emeritam sollicitasse Chelin.

Ultima fors cœptis jungetur opella libellis :
Mutua quæ doceat jura , in amando vices.





DE AMICITIA
LIBER PRIMUS.
NATURA AMICITIÆ.
ELEGIA I.

*Amicitia ratio eadem, ac fundamenti,
quo præ cæteris nititur.*

A Ut lapis, aut ferrū est, qui non amat; urimur omnes:
Blandus Amicitia cuncta triumphat amor.

Vix quenquā invenias, quotquot sumus, usque profanū;
Mutua cui nunquam pectoris ara calet.

Insita, nil prohibet, quo nos vis cogit, amemus;
Cura nec humanum dedecet ista genus.

Id modo cautus agas; id multa dispice cura:
Quo tua subsistant fœdera Amica gradu.

Talis Amicitia ratio: sic pacta perennant;
Ut, qua nituntur, firma vel ægra basis.

Non multos fert illa annos, quæ surgit in altum,
Ni bene firmato sit pede fulta domus.

Præda superba cadit, minimoque evertitur Euro
Arbor, radicum viribus orba suis.

Si tua vecordes inter si fœdera risus,
Atque coronatos icta fuere Scyphos.

Vanescant citius, tenues ceu fumus in auras,
Fœdera : non ultra pocula, firma manent.

Quodsi auri splendor Pyladi tibi junxit Orestem:
Si fallax opibus concilietur amor.

Si, quæ te pleno ditat, quasi prodiga, cornu
Copia, Theseam firmet, alatque fidem.

Nondum tuta salus : fraudem mutata docebit
Fortunæ facies, detegit illa dolos.

Scilicet hanc potius, non te sectatur Amicus;
Dum favet hæc, sequitur; dum fugit illa, fugit.

Hæc sola, hæc lateri simulatum affigit Achatem,
Hæc, ut ne portum deserat ante tuum.

Quam tua propitiis orbantur carbasa ventis;
Et misera optato remige Cymba caret.

Nempe velut largos nunc Delia mobilis ignes,
Plenaque sopito cornua fratre vehit.

Nunc minuit flammæ, nec cornua plena refundit;
Nec solito terras lucis honore beat.

Sic pariter larvata fides, sic dextera fallax,
Instabiles variat, ceu vaga luna, vices.

Ast fulcro meliore putas tua foedera niti:
Nec dubia lucri spe, vel amore capi.

Scilicet illustris, quæ fronte refulget, Amici
Gratia te captat, dexteritasque tui.

Hanc unam sequeris: sola hæc tibi suadet amorem,
Quique verecundus pectora candor habet.

Et placidi mores, & qui sine fœnore celsas
Conciliat mentes, nobilitatis honos.

Firmior hæc, fateor, basis est; meliorque beatæ
Ufus Amicitiae, foedera digna coli.

Nec magnis reprobata diis, quos docta vetustas
Sæpe hominum blando finxit amore capi.

Hæc tamen una tuas nutrit si gratia flammæ,
Hæc sola ut fessus pabula quærat amor.

Tempore decrescet modico, minuetque favillas;
Si non extincto protinus igne perit.

Nempe caduca isthæc, ut sunt, & inania solum
Nomina, perpetuum vix habitura decus.

Sic stabili nequeunt, nec quæ sat firma perennet,
Foedus Amicitiae conciliare fide.

Dignius adstringit sapientia mutua foedus;
Divitis ingenii dum cumulantur opes.

Has tuto capias, dilecto has pronus Amico
Fac, reddas; largam ne vereare manum.

Hæc reliquis, hæc digna magis commercia lucris:
Hæc licet intacta continuasse fide.

Non est, quod multi caveas studiosior auri;
Aut tacitæ quidquam fraudis inesse putes.

Nec, quod sollicitam vexent infomnia mentem,
Aut vesanus opum pectora turbet amor.

Qui modo, qui tumidis fingit jactata procellis,
Nunc misere infidis carbasa merfa vadis.

Quin celsa potius mortales despicit arce
Cassus, divitiis mens pretiosa suis.

Si tamen ingenuis, animi decus, artibus addas:
Hac si nitantur mutua pacta basi.

Isthoc si jungas socialia foedera nexu;
Hac gemina firmes si ratione fidem.

Tum demum germanus erit, tum verus amoris
Ufus; quo Pyladi junctus, Oreste, tuo.

Fortunata fides! O terque quaterque beata
Pectora! quæ tali munere fata beant.

Felices animas! quibus hac, qua major in orbe
Non est, dant Superi forte perenne frui.

His solum geminis sectare innixa columnis
Foedera, non ullo succutienda die.

Pronus Amicitiam hanc totis amplectere fibris:
Hanc unam firmo sistere crede gradu.

ELEGIA II.

Consistere, nisi inter bonos, non potest.

NOmen Amicitiae sanctum est : non foedera jungi
Sustinet, admissio crimine verus amor.

Impius in fraudes si te quis obarmet iniquas,
Respue : nil fidi pectoris ille gerit.

Lædere, si quis erit, qui jura protervus honesti
Suaserit : hic niger est ; da cito terga fugæ.

Nulla maris, quamvis sævit, sic plena pericli
Scylla ; nec infirmæ sic metuenda rati.

Atque ea, quæ toties merfit male fida carinas
Impietas : hanc pro littore si quis amat,

Nauplius, ut fama est, scopulo mare propter acuto,
Ceu pacata forent littora, signa locat.

Attollitque faces, nocturna luce coruscas,
Nato ut vindicias hac petat arte suo.

Ergo Redux Phrygia, domitæque a funere Trojæ
Hinc Danaum classis concita vela dabat.

Quælibet, ut prior est, portum contingere navis
Accelerat, scopuli nulla pericla timens.

Verte rates! ignare doli quo navita tendis?

Naufragus hic, monco, ni revehare, peris.

Neu facibus, ne crede nimis secure coruscis;

Fallor, an hoc aliquid lumine triste latet?

I cito, flecte viam, versisque relabere velis;

Sin minus: exitii certa pericla subis.

Sed moror heu vanis incredula carbasa voris;

Prævertit monitis fluctus, & aura meis.

Rumpitur heu! saxis impacta latentibus ingens

Puppis; & exitium mersa repente bibit.

Par reliquis fatum: tumultum reperere carinæ,

Quærere dum fessis littora cura fuit.

Jamque natant medias specimen lugubre per undas:

Littoribus quam non semper habenda fides.

Nempe probe responsa senis docuere Platonis:

Ni bonus est, nunquam verus Amicus erit.

Num constare putes germanam in foedera mentem:

Impia queis suavit jungere causa manus?

Sola quibus, si fata sinant, ea cura pacisci est:

Planior ut via sit, perdere posse bonos.

Heu præclara fides! pulchrique Magister amoris,

Quem sic culpa malis conciliata ligat.

Ut Patriam dent exitio, jus, fasque refringant;

Omnibus ut vertant mixta profana sacris.

Istud Amicitiae jus dicere scilicet audent;
Sique finant Superi, sic reverenter amant.

Dum Catilina aliquis, memorandum & foedus amantum!
Molitur Patriae funus, in arma ruit.

Humanumque Scypho libans conviva cruorem,
Juratam a fociis sic jubet esse fidem.

Dum coit excidio ruituræ proditor urbis,
Hisne putes, insit nexibus ullus amor?

Huncne tuæ credam, tangat quod cura salutis:
Cui sua postremo stat male culta loco?

Falleris, & tali quisquis nitaris amico:
Hæc fragili nimium foedera fulta basi.

Non pietas cordi est; non, quæ bene jungit amantes,
Virtus: non morum candor, & alma fides.

Tempora dum fallat, ludos dum ducat inertes;
Aut de te faciat ficto in amore jocum.

Tecum erit, æquatis simulans tibi vivere curis:
Longe erit; ut morum cefferit ille lepor.

Scilicet illecebram, raro & sine crimine quæstum,
Talis Amicorum turba sodalis amat.

His id Amicitiae quondam venerabile nomen
Luditur: his similis stat, titubatque fides.

Hæc præter nil diligitur: spem detrahe fructus;
Jam refugas nullus sollicitabit opes.

Ut mutet fortuna vices ; socialia jura ,
Quæ solo fuerant crimine juncta , ruent.

Atque utinam ruerent ! modo ne contagia morum
Allinat , & focia labe det esse reum.

Non ita foedatas picco fert unguine palmas ;
Forfitan informi qui pice fecit opus.

Non ita , qui vivis junxit Mezentius olim
Mortua corporibus corpora , sævus erat.

Quam metuenda lues animis , ubi pravus amator
Contigua scelerum jungitur arte bonis.

Neve igitur , firmo quos jungis foedere amicos ,
Ne sint , quos nigros fama , scelusque notant.

Jessæus tibi norma puer , meliorque Saule
Gnatus ; sique pares conscia fama dedit.

Hos imitare , pius si te rapit ardor amoris ;
Ut bene , quod duret , quodque coronet , ames.

Denique quod Pericles bene cavit : Amicus ad aras
Usque , nec has ultra redde in amando vicem.

ELEGIA III.

*Non conciliatur re ulla potius , atque
mutua benevolentia.*

Quo tua colliment , solido quo foedera fulcro
Sistant , materies bina fuere metri.

Jam quoque nosse juvat : facili quis pectora nexu
Conciliet magnes; quæ trahat herba potens.

Nosse juvat : mansura fidem quæ vincula stringant;
Quod jungat gluten pectora , nosse juvat.

Non res ulla magis stabilem tibi junget Amicum;
Mutuus ac ardor pectoris ille tui.

Hæc eadem Superis, hominique hæc una perennat,
Hæc stabilita diu lex: ut ameris, ama.

Sæpe fuit, philtro qui vim faciebat amatis,
Sic ratus alternas ferre in amore vices.

Invitis sed enim pellax extorsit amorem,
Quique isthoc nusquam nomine dignus erat.

Si tamen alternæ, si flammæ tanta cupido est;
Non opus infestis artibus : alter ama.

Res est Canidia, Circeque potentior omni:
Plus herbis, & plus carmine cogit amor.

Aut prior ardendo sociales elice flammæ;
Reddere vel solers sis in amore vicem.

Te facilem indulge placido, comemque benigno:
Munificum, ut larga noveris esse manu.

Præcipue dulcis pascat concordia amantum
Pectora: sic voto vivat uterque pari.

Quod volet alter, ama; quod non volet, oderis una;
Atque animi studiis, queis calet ipse, cale.

Annuet,

Annuet, annuito; dictis neque dicta repugnent:
Sint tua narratis consona verba suis.

Naturæ placidos, ut fas est, indue mores;
Hoc trahit, hoc trahitur pondere verus amor.

Ecquis amet: cujus velut histricis omnia telo
Dicta; vel armari cuspidē facta pntet?

Quis, cui perpetuo perturbant nubila frontem:
Ora cui infesta Gorgone torva rigent?

Certe animi demens: quisquis se jactat Amicum,
Nec tamen, ut tantum nomen adæquet, agit.

Fac, memor abde animo, quod Sulmonensis Amicum,
Teque simul noto carmine Musa monet.

Ut tibi quis Pyladen se præstet, sis & Orestes:
Non hoc fit verbis; facto, ut ameris, ama.

Re pateat, nullo pectus violabile fūco:
Res, quid amor possit; quid velit, una docet.

Mutua sæpe quidem verbosus solvit amator:
Sed tamen & dubites sæpius, ecquid amet.

Scilicet haud paribus respondent omnia curis;
Languidus, aut fors non integer ardet amor.

Sic eadem speculi de vitro forma relucet,
Quam foris objectu pinxeris ipse tuo.

Et tamen illudit, speculo quam cernis, imago:
Ille foris verus; vitreus intus homo.

Sic in verba licet facilis respondeat Echo;
Non nisi dat fractos dimidiata sonos.

Ergo ut ameris ama; paribus sed mensus amorem
Officiis, da, quas exigis ipse, vices.

His solum, his surgit studiis, augetur & istis,
Quisquis Amicitiae vincula necit amor.

Ut genus amborum se sanguine fundet ab uno:
Patria vel jungi terra det una duos.

Sint dotes animi similes, sit gratia linguæ:
Esto, pares numerent, munera fortis, opes.

Æquali fortuna levet sociabilis ambos,
Culmine; vel miseros fors simul una premar.

Omnia convenient: nondum satis omnibus illex;
Inque vicem iusti fomitis, esse parem.

Nempe animi studium sibi par, eademque voluntas,
Quique amor alternis ire, redire solet.

His sine sis: frustra Æneas captabis Achatem;
His sine Damoni Pythia nullus erit.

Ut jurare queas, Superosque in foedera testes,
Aut stygis infernos voce cicere deos.

Ut constet sibi firma fides; non credo perennem,
Nec veram, quam non mutuus unit amor.

Siquem forte tibi cura est habuisse parentem,
Ipse prior Patri filius esse velis,

Mutua quæ fuerint fratris, coluisse memento
Officia : ut fratrem dicere jure queas.

Sic pariter referas alternum ut tutus amorem ;
Fac, det amatori mutua flamma vices.

Omnia quo demum præcepta explebis Amici,
Hoc caput, hæc lex sit prima : ut ameris ama.

ELEGIA IV.

*Similitudo morum, amoris mutui, ac
Amicitia Mater.*

UT redameris ama : sola hæc ars certa parandi
Mutua Amicitiaë pacta, in amando vicem.

Non alio potius, fuerit licet aureus, hamo
Humanum liceat cor, animumque capi.

Solus amor, magnes, in mutua cogit amorem
Vincula ; non vis hac arctior ulla ligat.

Indomitas hic sæpe feras, hic barbara mulcet
Pectora; pacificis temperat arma modis.

Nectit & infestas in mutua foedera gentes,
Hoc duce distinguit pacis oliva manus.

Ne tamen incautum tua te fiducia fallat ;
Ni focio par sis moribus, esse velis.

Sit tibi mens eadem, sit par in utroque voluntas :
Quod volet ipse, velis ; cui favet ille, fave.

Dum

Dum sua laxantur jucundis ora cachinnis ;
Sit quoque tunc hilari risus in ore tuo.

Lumina dum mœstis lachrymis velut imbre rigantur ;
Et tua non sterilis lumina gutta riget.

Ut Proteus varias mutari suevit in auras ;
Nunc flos, nunc arbor, nunc levis ales agit.

Sic tua dilecto concordent pectora Amico ,
Sic age, sic socio par velis esse tuo.

Non facile inviti veniunt ad aratra juvenci,
Quique in diversas fueti abiisse plagas.

Nec leo magnanimus, Lybicæ ferus incola terræ,
Arctatur stabulis agne benigne tuis.

Nec te, qui terror reliquis, Jovis armiger ales,
Accipit innocuis blanda columba casis.

Nempe potens magnes ut fit, vel amasse priorem ;
Aut vero æquales reddere amando vices.

Vix tamen alterno pectus coalescit amore ;
Aut modico durat tempore primus amor.

Ni Natura pares, ni virtus fingere mores
Norit; ni studium, par & utrique favor.

Odit namque hilarem tristis, tristemque facetus :
Explodit timidum, cui violenta manus.

Horrescit, refugitque animos cor molle feroces ;
Vincula nec tecum barbare mitis habet.

Sic quoque, qui probus est, scelerati foedere abhorret;
Nec lateri infido sustinet ire comes.

Indignum reputat, fas sit cui jungere dextram:
Non eadem quocum Numinis ara calet.

Et sane incassum redamari quæris ab illo:
Turpe DEO qui sic perfidus esse queat.

Suspice nominibus quot non, ut cogat amantem,
Instet inexhausto profluus amne DEUS.

Hanc animam, hos ortus, & quo nil charius, auras
Vitales, idem sufficit almus amor.

Estne tamen retulisse vicem sceleratus ut optet?
Non hac ulla minus pectora cura subit.

Et tibi numne vicem sinceri cultor amoris
Præbeat, a quo pro pignore pauca tulit?

Nulla, aut pauca tulit: speresne rependere multis;
Qui neque pro summis reddit amando vices?

Sic Chlorus dubiam, quæ crebra vacillat in aulis,
Dum tentare nova quæreret arte fidem.

Sic bene, sacrilegos, atque impia thura cremantes,
Olim Christiadam qui coluere sacra:

Mox omni iratus Cæsar, proscripsit ab aula,
Esse suos renuens, qui renuere DEUM.

Sed monumenta juvat, celebres evolvere fastos;
Thesæa quotquot nomina clara fide.

Haud reperisse licet germano foedere junctos;
Quin candore animi, quin pietate pares.

Quid! quod, fucato simulat qui pectore Amicum;
Sicque velit sociam conciliare fidem:

Æqualem fingat genio; paribusque videri
Moribus, & studiis par velit esse suis.

Nempe ut dimidium possis audire sodalis;
Aut potius, dici quod solet, alter ego.

Sit tibi cura, pares animum coluisse per artes;
Fac, paribus flammis dulcis alatur amor.

Mens eadem, rectique tenax, sit & æqua voluntas;
Par studium, atque animi consona vota trahant.

Sic tibi gratuito jungentur foedera nexu:
Hac laxa, hac homines arte movere queas.

Nec decantatas inter jam fabula cedit:
Mœnia Dircea structa fuisse cheli.

Major Amicitiae, meliorque ubi fabrica surget,
Dum paribus studiis pectora Amica calent.

ELEGIA V.

*Ut in aliis omnibus, sic in colenda
præcipue Amicitia tenendus modus.*

JAm fines fixisse juvat: quos tollere molem
Ultra, quos ultra longius ire nefas.

Et foveat, & recreat, Cæli lux aurea, Phœbus
Omnia cum plantis arbuta, ruris opes.

Idem ast immodico si terram verberet æstu :
Esse graves merito tum gemet ægra faces.

Quod si perpetuo cervici incumberet altus,
Et siccum assiduo torreat igne diem.

Ni demum occiduis se mergeret ocyus undis,
Alternata solitus noctis abesse vice.

Par Hyperionios quis longum ferre calores
Possit, & exhaustis ignea tela fibris?

Dulcia sunt, sapiuntque : at amare mella palato
Obveniunt, plenis si repetita labris.

Sæpe levat reddens ægro medicina salutem ;
Sumpta sed immodice, pejus acerba necat.

Sic amor, ut certo se limite continet æquus,
Et foveat, & multo pondere corda levat.

Ast animi nullus potior discrimine motus,
Atque amor est, iusta si sine lege calet.

Ergo tuis nimius, cave, ne jungaris Amicis ;
Te quoque ne cupias, ut nimis alter amet.

Hinc, atque hinc scopuli, non una clade timendi :
Utrunque exitio naufragus esse queas.

Dextram Scylla tenet, lævam metuenda Charybdis,
Utraque in ærumnas ingeniosa tuas.

Uri

Uri corda nimis, timidi res plena pericli;
Digna metu res est, urere corda nimis.

Quin ut duret amor stabili fecundus ab æstu:
Nil sic ardentem juverit, atque modus.

Perpetuos servare ignes moderamine docta
Vestalis, stata dat ligna cremanda foco.

Deficiat, si forte nimis, si prodiga ligni,
Objiciat flammæ pabula plura sacræ.

Vilescit, si quis solito se crebrior offert,
Et prope captivum stipet utrimque latus.

Nempe velut partam minuit præsentia famam;
Sic amor immodicus detrahit ipse sibi.

Convenit, ingenuis foveantur Amica favillis,
Pectora; non uri convenit illa rogo.

Istud Amicitiae nomen sibi poscit, & æquis
Naturæ scriptus legibus, almus amor.

Scilicet alterno caleant ut uterque favore:
Quin tamen in cineres pectora abire velint.

Certe opus est, minus ut redament præcordia Numen,
Atque hominem; nimium si redametur homo.

Tum vero anne putes, magni discriminis expers,
Sic verso præceps ordine flagret amor?

Artifices noris festivis plausibus ignes:
Quos dare nonnunquam ludicra pompa solet.

Crebro vera tamen misceri incendia ludis
Vidimus: immodice sparsa favilla dedit.

Contigit ah quoties! in noxam ut versus abiret:
Moribus a sanctis qui bene cœpit amor.

Principio virtus placuit; rebaris amandam:
Hoc primum juncta est illice Amica fides.

Mox peior scintilla subit: quæ cœpit eodem
Gliscere, virtutis fomite nuda tamen.

Hac mercede calet vehementior ardor amoris,
Hac, quibus est blando nullus ab igne modus.

Quem periisse juvat, non hac speciosius arte,
Scilicet immodico lusus amore, potest.

Stringit amor: sed si nimius, simul enecat idem;
Haud secus, ac foetus simia stulta suos.

Esto, sed illæsus simulatos inter Amicos,
Stare vel in nimio tutus amore queas.

Sit solidum humanæ columnen, sit gloria vitæ
Amplius amor: taciti nil vereare doli.

Attamen ut, qualem votis felicibus ambis,
Experiare: rato tempore perstet amor.

Ast durare diu poterit: num ferre secundo
Flumine, si nimius, vel violentus agat?

Sæpe poli Rector, medio tutissimus ibis,
Ingeminat nato verba diserta pater.

At

At quia plus nimis cæli per devia flammis
Arserat, en! patriis excidit altus equis.

Scilicet omne genus nimii durabile non est:
Turpiter & quidvis, quod sine lege, perit.

Et tu, quisquis amas, moderatis utere. Serva
Rebus ut in reliquis, sic in amore modum.

ELEGIA VI.

*Vera Amicitia, mortali hac in vita rara
admodum, non tamen penitus desperanda.*

STat numeris perfecta suis, en! ardua moles;
Effigiem veri, lector, amoris habes.

Cernis Amicitiae castos in imagine vultus,
Intactam quavis sorte, vel arte fidem.

Quam gemino virtus ligat, & sapientia nexu;
Quo sine nec tanto nomine digna foret.

Cernis, ut alterno consurgant foedera amore:
Utque animi studiis concilietur amor.

Cernis, ut æquales conjungant pectora mores,
Ut pariant flammæ igne recente novas.

Denique firma suis ut duret fabrica fulcris,
Et celsæ æternum vertice surgat opus.

Limitibus certis humana ut quæque reguntur:
Sic & Amicitiam cernis habere suos.

Haud ultra audaci fas est contendere gressu;
Haud ultra ratio sana movere sinat.

Jam sumptus spectasse juvat: tantæne struendæ
Sint moli, tanto sint operine pares?

Explorare juvat vires; juvat ardua quæque
Fingere: si tantum pectore robur inest?

Ne nimium confide, precor; res plena pericli:
Jungere, quam stupeant sæcula tarda, fidem.

Ætate ex omni, testis mihi maxime Tulli!
Vix paria invenias terna, quaterna minus.

Quos stabilis conjunxit amor: quis foedere sancto
Firmatam licuit continuasse fidem.

Aut, quæ terrigenum levitas! vilescit Amicus;
Primus & in gelido pectore languet amor.

Aut non ante fatis perspecti, tempore nævi,
Et mentita fides, improba pacta patent.

Aut minus exculti, quos mens bene provida mores,
Quos refugit virtus, integritasque cavet.

Aut fruit infidias alieno livor amor:
Perdit & innumeris foedera Amica dolis.

Sic quondam Ifaciden livoris vulnere fratrem
Perdere cognatæ sustinuerunt manus.

Blandior ut visus reliquis, Patris unus ab ulnis
Pendere, atque oculis gratior esse senis.

Conti-

Continuo exarsit furor ossibus invidus : hostem
Ceu metuant, fratrum turba dolosa fremit.

Jamque nisi Numen viventes fregerit iras ;
Fratribus occiderit victima certa puer.

Ne penitus diffide tamen ; ne desere coepta :
Maeste animis ! non spes omnis adempta jacet.

Si meritis, virtute parem te jungis Oresten ;
Si sat firma geris pectora , robur alis.

Nondum omnis toto Pylades proscriptus ab orbe :
Nunc quoque germanus foedera jungit amor.

Si tibi, si virtus potior, quam munera fortis :
Sique animi primo sint tibi dona loco.

Si, quos fraterna redamas in imagine mores,
Hos pariter referas moribus ipse tuis.

Denique si certam servant tua foedera metam ;
Nec positos fines transgrediatur amor.

Non jam ficta inter portenta, aut nomen Achatis ;
Aut socio ad stygias qui comes ivit aquas.

Quos redamare velis, dabitur : numerare licebit,
Quos casto deceat pectore, amore colas.

Non equidem tuus ut sistat velut ardor in illis ;
Calle sed attingas ut propiore DEUM.

Saepe vagam pelago spectat de littore puppim
Nauta ; sed hostilem nescius, anne suam ?

Mox solers oculis crySTALLINA lumina subdit,
Quæque remota fatis vela, propinqua videt.

Sic, quod ames Numen, si non propiore medullas
Illiciat sensu, dona creata juvent.

His humana DEUM ceu mens cognoscere discit;
Ex his sic eadem discit amare DEUM.

Ille quidem, solo se dives, id omne recondit,
Quo pius accendat pectora nostra calor.

Hand secus ac Phœbi cognatus viribus ardor,
Unus, ut incalcant terrea cuncta, facit.

Attamen ut radios vitreo collegeris orbe,
Lumina reflexo dans coiisse situ.

Protinus accendi, quod erit sub sole, videbis:
Non alio melius fomite flamma venit.

Dicitur hac felix, Saracenæ robora classis
In flammam, & cineres arte dedisse Proclus.

Hac quoque, si superis amor est ignescere flammis,
Uttere: pro speculo dona creata cape.

FINIS LIBRI PRIMI.



DE



DE AMICITIA LIBER SECUNDUS.

AMICORUM DELECTUS.

ELEGIA I.

*Amicitiae non improvise, nec temere
ineunda.*

Qua tuto firmanda basi, quaque arte levanda,
Grandis Amicitiae fabrica, Musa dedit.

Majus opus superest; levior neque cura : sodalem
Quem tibi de multis millibus esse velis.

Qui vario Pylades casu comitetur Oresten:
Tutus fortunæ portus, & ara tuæ.

Qui tecum Lybicas aufit perrumpere Syrtes,
Et dare non fidis vela secunda Notis.

Qui tua prostratæ potior fiducia fortis,
Euryalo focius qui tibi Nisus erit.

Sat nosti : rem quantam agites, dum quæris Amicum :
Qui sit dimidium , pars meliorque tui.

Cujus in adversis longo spectabilis usu
Et multo jam jam tempore nota fides.

Ludimur , heu quantum ! nobisque imponimus ipsi :
Neglecta in minimis hæc ubi cura jacet.

Non nisi fertilibus mittuntur semina fulcis ;
Nec, nisi qui multo fœnore reddat, agro.

Non prius extremos properat Mercator ad Indos ;
Nec dubiis usquam carbasa credit aquis.

Quam sibi firmatam delegerit arte carinam,
Quæ pelagi infestas ludere docta minas.

Prima sed expertum cura est reperisse magistrum :
Spes cui tuta queat credere cymba suas.

Quem non Scylla latet, syrtesque & sæva Charybdis,
Quassatæ toties non adeunda rati.

Denique quem casus pelagi durasse per omnes
Constat , & æquoreas arte domare minas.

Et tamen ancipiti toties committere forti
Pergis Amicitiae fœdera sancta tuæ.

Vile ut mancipium quæstu meliore paretur ;
Nil modicum, quod non ponderet æqua bilanx.
Oppor.

Opportuna suis num singula membra, requiris,
Num mens officio, num manus apta suo?

Nil refugit cautum pectus; nil lumina fallit:
Nil non ad trutinam, ne capiare, vocas.

Vah demens! sic pluris erunt tibi lucra profana;
Pluris mancipium, quod famuletur, erit.

Quam tibi sit Pietas, quamque inviolabile foedus,
Nomen Amicitiae nobile, & alma fides.

Pervigil exquiris firmas, quas incolis, aedes:
Ædibus heu! levior firmus Amicus erit.

Si belli tentare vices fors Martius ardor
Suaferit: Æacidæ vix satis ensis erit.

Atque ubi tam dubiæ subeunda pericula sortis:
Nemo tibi, clypei qui tegat instar, erit?

Per mare, per terras, perque ardua strata viarum
Pergis, ut instabiles accumulentur opes.

Ut stabilem invenias germano pectore Amicum,
Abnuat obsequium pesve, manusve suum?

Ne præceps nimium blando ne crede colori;
Quique in fallaci plurimus ore lepor.

Sæpe latet placidis tectus sub floribus anguis:
Nectareis sudant sæpe venena scyphis.

Annulus ut fidi non anceps tessera amoris;
Sæpe tamen gemma divite virus alit.

Deci

Decipit incautas Siren, mergitque carinas,
Improba dum dulces edit ab ore sonos.

Credulus & piscis sapida cito fallitur esca:
Fallit & aligeras vox simulata feras.

Nec refert, ferro sternat numne hostis inermem:
Numne dolo incautum perdat Amica manus.

Quid fuit, in tumultum vertit quod moenia Trojæ:
Moenia quæ superum fulta fuere manu?

Nempe fuit fatalis equi fera machina; donum
Palladiæ, ut perhibent, pignus inerme manus.

Hoc prostrata gemit quondam Priameia sedes;
Credula sic nimium, munere victa, jacet.

I nunc, laxatis pateant præcordia fibris;
I nunc, & patulo quemque reconde sinu.

Non labor, aut studium, non sit tibi cura legendi,
Cui tuto liceat cor referare tuum.

Experiere miser, nimiumque at sero dolebis:
Siqua animo fuerint his potiora tuo.

Nec te cum Cynico plena vel luce pigebit
Quærere, & accensa quæque notasse face.

Millenos inter dum fors reperire licebit,
Pectora qui stabili fœdere digna gerat.

Quique hoc, quo majus non est mortalibus ullum,
In seros studium protrahat usque dies.

ELEGIA II.

*Neque multi, nec ob-vius quisque inti-
miorem in Amicitiam recipiendus.*

DElige, nil prohibet, quis enim sine vivat Amico?
Sint tibi Thesea pectora juncta fide.

Nec tibi nostra, quibus possis, cum prospera cedunt,
Tempore sic duro credere, Musa vetat.

Sed cave, ne numero nimius fallaris in illo:
Multos inter amor candidus esse nequit.

Omnibus imperti frontem sine fraude benignam;
Sed cui confidas intima, rarus erit.

Quisquis amat, se dimidium compellat amati:
Alter ego dici quisque, vel esse cupit.

Ast ubi dimidium jam te donaveris uni:
In plures nunquid diditus esse queas?

Esto, ut dimidium numerus se major amantum
Præstet: qua reddes omnibus arte vicem?

Aut minus hos, quam pro meritis, ingratus amabis;
Aut par officio non potes esse tuo.

Servitii mihi crede genus, quod fœdus Amicum
Devinctus multis asseris, esse solet.

Officium reputa, quod reddere debet amator:
Et quid Amicitiae jura, vicesque petant.

Quo

Quo præstare modo multis complura valebit:
Quæ vix est uni par referendo manus?

Unus Amicorum numerosos tunc repelles
Hostes: intactos vulnere numne dabis?

Forfitan insidias poteris prohibere latentes;
Aut dum causa premit non bona, tutor eris?

Non satis ipse vigil sæpe in tua commoda vivis;
Vix par pauperiem sustinuisse tuam.

Dic age, qui multis facilem præstabis Amicis
Te pius auxilio: res ubi poscit opem?

Ut nempe in plures errantia flumina rivos,
Nominibus remanent inferiora suis.

Sic vim perdit amor, multis partitus Amicis;
Nec quibus auspiciis cœperat, urget iter.

Forte fuit: solito tumidus plus flumine Gyndes
Ut tumularet equos vortice, Cyre, tuos.

Findere continuo Gynden, nil tale merentem,
Rex jubet, & sparsas ducere flumen aquas.

Mox stetit, ac parvo se nullum vidit in alveo,
In fluviis Gyndes qui modo grandis erat.

Scilicet hoc habuit; vires divisus & undas
Perdedit, unitis qui bene fluxit aquis.

Sors eadem, præceps nimium dum fertur, amori,
Dum calet in partes, crede, timenda tuo est.

Cor

Cor amplum ut fuerit, prægrandis fluminis instar,
Ignibus aut suppar, Ætna timende, tuis.

Si tamen in partes sectum, si cuique reclusum est :
Nec te, nec socios, quo tuearis, habes.

Ipse potens rerum, partem qui fortis, Amicos
Augustus solitus dicere jure suos.

Non tamen admisit nisi paucis nomen Amici :
Plurimus id quamvis, qui meruisset, erat.

Sat sibi nempe putans : Mæcenas junctus Agrippæ,
Si sibi dilectum par in amore forent.

Da sed enim, non id grave sit, præstare fidelem
Pluribus, ut fuerint ardua, sæpe manum.

Esto : unus par auxiliis, tutusque pericli
Objicias, fors ut constet Amica, caput.

Res, & opes tibi sufficiant, indemne levandis
Pluribus : ut sic pro pluribus unus ames.

Hoc quoque num poteris, num pluribus intima mentis,
Quantumvis tacito corde premenda, dabis ?

Hoc tamen, hoc veri tibi lex præscribit amoris :
Hoc & Amicitiae poscere jura solent.

Ultro verus amor quæ non tibi mandat ? amati
Scilicet ut quasvis experiare vices.

Condoleas tristi, læto læteris oportet :
Illo flente, genas lachryma mæsta riget.

Si plures redames : gemit hic ; lætatur at ille :
Cum lachrymis risum fundere numne potes :
Adde, quod & similes sibi poscat fœdus Amicum ;
Ut simili gaudent cætera, gaudet amans.
At pluresne putes, quos vel fortuna bearit ;
Finxerit aut virtus, ingeniumque pares.
Dat sua conditio, sua dat discrimina virtus,
Et natura suis dissona sæpe dedit.
Finge tamen, tibi quod similis sit & indole, & ore,
Quæ mereat flammam plurima turba tuam.
Omnibus emineat studiosa in amore voluntas :
Nil te perfidiæ tardet amare metus.
Sint in Amicitiiis cum nectare plurima mellis :
Pleraque sint illinc prospera, multa juvent.
Sicne jugum servile pati ? quæ pluris Amico est,
Sic libertatem vendere velle tuam ?
Uno sufficiat, tenearis compede demens !
Devinctum cur te pluribus esse velis ?
Ergo age, quod placido relevet solamine vitæ
Tædia, seu curas quod juvet esse leves.
Fac, admitte quidem, ceu partem sortis, Amicos :
Non hac illecebræ te veto parte frui.
Ast moneo, nimium numerus ne crescat amantum ;
Deficiant : flammæ hac nisi lege foves.

ELEGIA III.

Diutinum de Amico periculum capiendum, & sic demum toto pectore admittendus.

Non ita vel tumidas ludit vesania mentes,
Non jacta ut properent ponere tecta basi.

Nullus, ubi refugæ cumulo junguntur arenæ,
Ædibus orditur fulcra futura suis.

Quin potius seris mansura palatia sæclis
Qui parat; e quadro marmore fundat opus.

Incidit Pariis monumenta perennia faxis,
Qui sua perpetuo nomina clara velit.

Nec plumbo, sed de solido riget anchora ferro;
Quæ possit stabilem fixa tenere ratem.

Par labor, ac princeps te cura fatiget, in arctam
Quisquis Amicitiam posse venire putas.

Crede, velim: magnos res hæc agitanda per æstus;
Et lentos fuerit discutienda dies.

Non satis est, quod amoena tibi, quod idonea sedes:
Non quod conspicui forma decora soli.

Plana superficies solo non proficit usu:
Illudent oculis, quæ placuere, tuis.

Hic opus est, penetres ut ad imi viscera fundi;
Exploretque cavos mens studiosa sinus.

Quod cito fit durare nequit : nec longa videre
Sæcula, consilio quod properante ratum.

Indue consiliis vigilem præsentibus Argum :
Non hic, non oculos centum habuisse piget.

Fac, scrutare sagax ; & partem sedulus omnem
Perlustrans, tacitas experiare fibras.

Sæpius irriguis riserunt floribus arva :
Ver ubi multiplici germine pinxit humum.

Et tamen elusit messis frustrata colonum ;
Plurima dum trepidum grando flagellat agrum.

Divitis haud raro lactavit vena metalli,
Credita montano delituisse specu.

Ast ubi dextra rapax Plutum scrutata profundum :
Disperit rutili spes male sana luti.

Sæpe aliquis, quem traxit apum mellita voluptas,
Irruit, at multo vulnere læsus abit.

Sic dulce est carpisse rosas ; sed spina moratur
Juncta rosæ, incautam fallere docta manum.

Hæc te, quisquis eris, doceant exempla cavere :
Quippe dabunt longæ commoda multa moræ.

Cunctator Fabius Romanis restituit rem ;
Cunctator Fabius, dum licet, alter erit.

O quoties vidi tranquilli pectus amoris
In subitas odii mox abiisse faces.

Ora propinabant male cautas nectar ad aures :
Dixeris Hyblæis roscida verba favis.

Jurares procul esse dolos, procul esse maligna
Toxica : tam docta promitur arte nefas.

Et tamen , heu tacitæ spectacula ludicra fraudis !
Non nisi perfidiæ monstra sepulta jacent.

Os illud , quod laude prius te vexit ad astra ,
En modo cum fremitu probra pudenda vomit.

Dum brevis hora fluit, dulci pro melle cicutam
Porrigit , infidiis dextra timenda suis.

Sic rotat arbitrium levitas ! mutamur, ut Eurus ;
Nil est, quod stabili compede corda liget.

Nunc odium, nunc intus amor præcordia turbat ;
Nunc spes, nunc agitat lapsus ad ima timor.

Qui pro te vitam, vita quid charius ? ipsam
Jurat ad objectas velle sacrare minas.

Hunc vel læde joco ; ferro te perdet, & igne,
Armata insurgens in tua fata manu.

Aspice cærulei fluctus, & murmura ponti :
Effigiem subitæ mobilitatis habes.

Nam modo pacificum ratibus substernitur æquor ;
Tutaque per placidas cymbula ludit aquas.

Otia Neptunus Nymphis indulget, & Austris :
Nereidum plaudit per vada falsa chorus.

At vix insonuit stridentibus Æolus alis:
Protinus iratum surgit ad astra mare.

Tum crepitant nimbi, tum montibus unda tumescit:
Navigiis passim membra soluta natant.

Ceu mare, sic hominum nescit constare voluntas:
Res levis ingenium mutat utrique suum.

Non opus ut pleno raucus sonet Africus ore
Ad Zephyrum motas experire minas.

Odit Alexander Clitum, quo charior alter;
Dignior & leni Principe nullus erat.

Et te Parmenio, lateri qui primus herili:
Et potior Regis pars in amore tui.

Te quoque, vah nimium celerem in contraria sortem!
Sustulit extincto versus amore furor.

Sed citius quot habet vastum, quot littus arenas;
Flumina quot guttas, enumerare queam.

Quam sperem, tot enim volvuntur pectore motus!
Mutati affectus posse referre vices.

Finge nivem, subito quam solvit aquaticus Auster,
Aut sol in fluidas ire coegit aquas.

Fluminis aut cursum rapidi: tamen ante citatis
Lapsibus humanus diffluit ille favor.

Fabula sunt Proteus, Vertumnus, Fabula Circe:
Plus, cui fidis homo, mobilitatis habet.

Ipſa licet vario redit in nova cornua vultu,
Plus ſtabiles lunæ ſervat imago vices.

Ergo age, nocte moras, meditataque fœdera lentus
Protrahe: ſic rebus diſce cavere tuis.

Ante tui capias diuturna pericla ſodalis;
Quam facili firmes mutua pacta manu.

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes;
Ut, fatum expertus, Naſo poëta canit.

Nec juvat, admiſſo jam tectis hoſpitem, cautum
Quærere: quem redamo, qualis, & unde vir eſt?

Aut num tuta ſatis, num ſit diſcriminis expers
Dextera; num ſtabili cor, animuſque fide.

Qui cavet, ille ſapit: vox hæc hortetur, ut omni
Cautus Amicitias, qua licet, arte probes.

ELEGIA IV.

*Tria potiffimum in Amico exploranda:
& primo omnium, quam ſit ſecreti tenax.*

Nec nimias traxiſſe moras ſtomachabere vatem:
Dum docet ingenuam noſcere poſſe fidem.

Tot veniunt libranda, tot expendenda ſevera
Lance: probaturum tanta cavere decet.

Ut prope Neſtorias vixiſſe requirat ariſtas:
Scrutari ſi quis ſingula cautus amet.

Momus in humano poscebat corde fenestram;
Ut pateant claro, quæ latuere, die.

Finge, quod his ultro subscribant numina votis;
Effugient oculos multa videnda tuos.

Scilicet incassum solertia detegat artem:
Qua liceat fraudes, quaque cavere dolos.

Extera forma patet dum corporis, intus ad ima
Pectoris haud ullo fas penetrare modo.

Ast quoniam res nostra petit vigilantibus uti
Consiliis: monitum vera docentis habe.

Pauca quidem, sed quæ magno sint pondere nixa,
Musa dabit, coeptam iussu tenere viam.

Terna, velim, memori condas ut dogmata corde:
Lydius hæc sunt, dogmata terna, lapis.

Lex prior: an norit secreta tenere profundo
Pectore; num fervet lubrica lingua modum.

Altera lex, quo te studio sectetur, & ausu;
Sors ubi iucundis ridet amœna genis.

Ultima: num lateri constans assistat & illo
Tempore, dum pulsant turbida fata domum.

Vel prima si dote caret, rimisque fatiscit,
Tantalea plusquam garrulitate loquax.

Desine, quid temet fallaci luseris umbra:
Hunc in Amicorum parce referre chorum.

Quin potius, si quæ fuerant, mox fœdera rumpe:
Degere communi nec patiare domo.

Ecquid enim profit, lateri quod jugiter adsit:
Umbra velut, Phæbo quæ solet ire comes?

Ecquid? quod socia tactus pietate medullas,
In Martis gladios irruat, inque neces?

Si tela imprudens, ferrum si cesserit hosti:
Exitii quamvis causa remota tui.

Misenus, rauco dum tractat ahenea cantu
Cornua, & immites cogit ad arma globos.

Infestas aciem postquam stimulasset ad iras;
Captus in hostiles incidit ipse manus.

Proximus ergo neci, me cur occiditis, inquit?
Nullum etenim jussit dextera nostra mori.

Æra tubæ quisquam credat fudisse cruorem?
Auribus hæc resonant: plus nocuere nihil.

Huic aliquis: sine cæde manum jactare quid audes:
Cædendi vires vox tua quando dedit?

Exigit æqua Themis, quamvis non strinxeris enses,
Authorem lethi funera justa pati.

Non opus est, simulare vafri de more Sinonis;
Et tegere infestos ore jocante dolos.

Si sibi commissam non servet pectoris arcem,
Qua tibi pollicitus, qua deceatve fide.

Claudere si portas armato negligat hosti;
Esto, dehinc forti depulit arma manu.

Proditor est, dignamque ferat pro crimine poenam;
Venalem pacto qui dedit ære fidem.

An minus ille nocens, qui postquam fauciat ense:
Præonia solers vulnera curat ope?

Aut qui, quando faces vicinæ subjicit ædi,
Affusis flammæ sistere tentat aquis.

Crede mihi, nil ista juvant post damna, nec istud,
Quidquid opis, sanæ semina mentis habet.

Quamquam quid clypei, quoquo discrimine rerum,
Quid speres placidæ, quod tibi præster, opis?

Qui, ne displiceat reliquis, nec parcior ore
Audiat; arcanum prodit, Amice, tuum.

Ut parva humano pars est in corpore lingua:
Plus tamen hæc membris omnibus una nocet.

Non ita Mars, non tela necant, non barbarus ensis;
Non mala fraus, vetitum præmeditata dolum.

Hei mihi! cur adeo res est operosa tacere;
Nec liceat linguæ ponere fræna suæ?

„ Longa dies homini docuit parere leones:
„ Quin patitur facilis tigris & ursæ manum

Et linguam domuisse neget diuturnior usus;
Quæque pari superis mens ratione viget?

Ergo cave: stabili durent ut foedera nexu;
Ne pactam fallat garrula lingua fidem.

Elinguis, mutusque magis, quam voce disertus
Juverit; ac rebus commodet usque tuis.

Intemerata fides, & mens sine crimine pura
Haud stabit: nimium laxa ubi porta patet.

ELEGIA V.

*Qua in nos animi sinceritate, rebus in
prosperis?*

CYclopum fabricata manu, fac moeniaingas;
Moenia difficili vix adeunda situ.

Ceu Tyros, aut Thebæ, ceu turribus Ilion altis,
Ardua ceu Babylon, Persepolisve stetit.

Non aries muros, sed nec balista refringat,
Machina vi certam pandere docta viam.

Culmina præcipites ut cingant undique fossæ,
Et vigil excubias undique miles agat.

Non ideo invictam, non tutam feceris urbem;
Nedum pacifico posse vigere statu.

Si cui præsidii mandata est cura tuendi;
Exagitet vigilem dira cupido ducem.

Si prædæ violentus amor, nimiusque laceffat
Ardor opum: nil sunt moenia, tela nihil.

Auri sacra fames plures ita perdidit arces,
Quæ tamen armatas vix timuere manus.

Hæc tibi dicta putes, quem cura fatigat Amici;
Fidere cui pectus, sed sine fraude queas.

Nil animo titubet, fortem se præstet agendo:
Sit potis æumnas sustinuisse graves.

In gladios, & tela ferox densata feratur;
His nondum dubius sat patefiet amor.

Si lucra sectetur cupidus: vah mitte profanum;
Mitte, prius dextram quam liget ille tuam.

Cor namque in dextra gerit; & mercede rogatus
Gestiet actutum cuilibet ire comes.

Sic offam stimulante fame vestigat Hylæctor:
Ad cytisum tremulo gutture currit ovis.

Quam bene cantabat Patriis Naso exul ab oris:
Vulgus Amicitias utilitate probat.

Auro pulsa fides, auro decedit honestas:
Cumque sua sequitur capta balance Themis.

Nil certe augustis fuerit sacratius aris,
Iratos solitis flectere thure deos.

Has tamen innocui temeravit cæde Sichæi
Pygmalion, nimii victus amore lucri.

Nil, licet arcta, vetant juratæ vincula pacis;
Nil juvat æterno fœdere pacta fides.

Pellæi Regis genitor dixisse Philippus
Fertur, & eventu res manifesta probat.

Nec telis, nec Marte ullo penetrabilis arx sit;
Nec superanda æstu, Mulciber ipse, tuo.

Scandere si muros auro gravidatus asellus
Possit, mox pandet janua lata fores.

Ecce nefas! quod tota nequit violentia belli:
Fulgor ab obrizi lumine missus agit.

Ah pereat! qui primus opes effodit ab antris;
Quas melius cæcis montibus abdat humus.

Debuit hunc terræ sepelire ruina sub umbris:
Mille simul scelerum monstra sepulta forent.

Ergo cave, dum resque finit, cane pejus & angue
Hunc fuge; quem lucri dira cupido trahit.

Huic tua cōmittas? huic num commercia jungas?
Cōsiliū causas noverit ille tui?

Cui venalis amor: qui non, nisi fœnore turpi,
Optat Amicitiam, fœdera sancta, tuam.

Ultima Sarmatiæ confinia visere mallet:
Inter inhumanos figere tecta Scythas.

Quam lateris comitem, non me, sed cōmoda quærit
Qui sua, complectar fœdere; amore colam.

At mihi jam multis, replicas, est junctus ab annis;
Vinxit & obsequiis pectora nostra suis.

Dignus

Dignus cui pariter, non parcus, plura rependam;
Et studeam alternis demeruisse bonis.

Sic pietas, sic poscit amor, sic mutua jura;
Sic & naturæ lex, ratioque jubet.

Haud pugno: quis enim vellet prohibere, labori
Si quis mercedem pendere justus amet.

Accumulentur opes, fas est, placidique favores:
Parcus inurbana ne videre manu.

At tibi te serva: nec si das munera, temet
Prodige; nec tacitos cordis in arce sinus.

Præstolare dies; quin præstolare per annos:
Signa perennantis donec amoris habes.

Objice nunc largus; nunc subtrahe providus escam:
Et modo te facilem, te modo finge gravem.

Dum constet tibi plena fides, captoque periclo,
Non dubia liceat pacta ferire manu.

ELEGIA VI.

*Qua in adversis, & arduis fidei firmitate,
qua constantia animi?*

Sic ubi, ceu sobolem tentat Jovis ales, Amicum
Sortis ab aspectu lucidiore probas.

Non sat adhuc: animi vires, atque omnia morum
Symbola sollicitis experiare modis.

Ut nihil alter opum, cui fat fortuna propinat,
Expetat; & nulla commoda parte ferat.

An tamen, infesto dum te fors fauciat ictu,
In tua lucra gravem porriget ille manum?

An fundos, an vendet agros, ut colligat æra;
Ut pius affectu te miserante levet?

Heu rarus! qui non, postquam fortuna migravit,
Migret, & in subitam det sua terga fugam.

Qualiter ad Phæbi radios comes umbra moratur;
At solare jubar dum fugit, umbra fugit.

Succina ceu paleas, ceu vis magnetica ferrum;
Sic animos pariter fors opulenta trahit.

Una fides, & amor, nusquam divisa voluntas
In geminis arcto fœdere juncta regant.

Et tamen, ut duro placidus sis tempore Amico,
Mandat Amicitiae regula; mandat amor.

Sic Anchisiades secum raptabat Achatem:
Per gladios quamquam triste patebat iter.

Patroclus imitem fidus comitatur Achillem:
Conscia qua sævæ semita cædis erat.

Damonis, Pythiæque quis enarrabit amorem?
Alter in alterius funera sponte ruit.

Hæc feros exempla docent transmissa nepotes:
Quantus Amicitiae debeat esse vigor.

Plaudimus auditis : monumentaque prisca stupemus ;
Quin tamen in nobis ferveat ille calor.

Ecquis enim infernas vivus descendat ad umbras :
Theſeam cupiat quis revocare fidem ?

Id tamen urget amor , ſi verus : id urget Amicum
Nomen ; Amicitiae vincula , pacta fides.

Nil habuiſſe ferunt Chaldaeos ſanctius igne ;
Huic ſua , prae reliquis thura tulere diis.

Scilicet ille deo quoniam violentior omni ,
Viſta domet flammæ robore cuncta ſuae.

Ventum erat ad Nili populos : ſua numina contra
Niligeri reliquis plus valitura volunt.

Experiamur , ait Chaldaeus , jungite numen :
Si tamen ara deos ſuſtinet una duos.

Et jam plena dolis , diſpuncta foramine multo ,
Plenaque Niliacis amphora ſtabat aquis.

Illam ſuppoſitis Chaldaeus vincere flammis
Nil dubius , ſacros auget ab igne focus.

Occultæ ſed enim ſubito molleſcere ceræ ;
Ire foraminibus , qua calor urget , aquæ.

Emoritur flammæ viſ , viſta potentibus undis :
Niligeros demum palma , decusque manet.

Fabula ſit : nimium ſed vera illius imago ;
Cui virtus dubia ſorte premente cadit.

Frangimur adversis; nec firmum pectore robur :
Dum furit infestis fors inimica minis.

Diffluimus ceu cera, calor cui proximus instat ;
Ceu flamma, immodicis merfa, tepemus, aquis.

Hæi mihi ! quam variis mortalia corda procellis
Jactantur ; quantis exagitata malis ?

Nunc intus, nunc fata foris contraria vexant :
Hic chorus alternas itque, reditque vices.

Invidiæ nunc tela volant ; nunc hostis apertus
Pugnat, & exacuit barbarus arma furor.

Hic animis opus est : hic solaturus Amicum
Optaris : trepidis portus & ara malis.

Aurea massa velut rapido solet igne probari ;
Arguitur fato sic graviore fides.

Dum mare pacatum ridet, moderamina clavi
Quisque petit ; facili tum regit arte ratem.

Ast ubi tempestas fremit indignantibus undis ;
Flectere vix puppim Tiphys perire potes.

Dum via plana patet ; nec devia longa morantur :
Metitur placida mente viator iter.

Ast ubi saxa rigent ; ubi spinis aspera tellus :
Mox fracto penitus robore lentus agit.

Haud secus adversis languet studiosa voluntas :
Et variat, quoties fors variatur, amor.

Ergo

48 DE AMICITIA LIBER SECUNDUS.

Ergo ubi, quam stabili cura est tibi jungere pacto,
Explorare manum, cor, animumque cupis.

Mærorem vultu simula : confinge molestam
Pauperiem; veluti fata sinistra premant.


Si tibi compatitur, si plangit pectora questu;
Si sibi subductas suppeditabit opes.

Hunc lege sollicitus, gemmæ prædivitis instar :
Pectoris hunc imo providus abde sinu.

Si, quæ corde geris, non imis vulnera fibris
Senserit : immerito cedere coge gradu.

FINIS LIBRI SECUNDI.





NOMINA
OFFERENTIUM
ORDINE ALPHABETICO.

ADAMUS L.B. AB EHRMANS,
ET SCHLUEGG.

ANTONIUS JOSEPHUS L. BARO
A LAFFERT.

PERILLUSTRES, EQUITES,
ET
PROVINCIALES.

ANTONIUS JOANNES NEPOM.
DE BITKA.

ANTO-

ANTONIUS DE HETERICH, S.R.I.
EQUES.

CHRISTIANUS DE ANNACKER,
S. JACOBI EQUES.

DON ERNESTUS A LOCELLA,
NOBILIS DOMINUS DE LOCELLO.

ERNESTUS DE RETZ, S.R.I. EQUES
E CÆS. CONVICTORUM COLLEGIO.

FRIDERICUS DE RAITMAYR.

HENRICUS DE CREMERIUS S.R.I.
EQUES.

JACOBUS DE BROCKHAUSEN.

JOSEPHUS FERNER DE FERENAU,
REG. HUNG. EQU. ET PROV.

JOSEPHUS DE PRAITENAU,
S. R. I. EQUES.

JOSEPHUS DE RECHCRON.

JOSEPHUS FRANC. DE VISSA.

LUDO-

LUDOVICUS BAUSSART DE
SONNENFELD, S. R. I. EQUES.

PRÆNOBILES ET NOBILES.

ANTONIUS DE BERNHARD.

ANTONIUS MAYRHOFFER.

CAROLUS HELFENSTORFFER.

CAROLUS JOSEPHUS MAYR.

CHRISTOPHORUS DE HANA.

FRANCISC. XAVERIUS LANG.

FRANCISCUS XAVERIUS
DE WINTERSPERG.

FRANC. DE PAULA DEMUTH.

FRANCISCUS GREMINGER.

FRIDERICUS AB AICHINGER.

JOANNES FAHRNWAGNER.

JOANNES ZIEGLHAUSER.

JOAN-

JOANNES NEPOM. BANDIAN.
JOANNES NEPOM. EBERL.
JOSEPHUS ANTON. HERZOG.
JOSEPHUS FRANC. INAMA.
JOSEPHUS JOANNES KELLER.
JOSEPHUS ANTON. KOELBL.
LEOPOLDUS ANGERER.
LEOPOLDUS HITTNER.
LEOPOLDUS WOLFFFROM.
MATTHÆUS HARLFINGER.
PETRUS SEBAST. BOLLA.
PETRUS GARZAROLL.

O. A. M. D. G.

